decerni potest nec Jure feudi Illmo Duci sine Ordinum Regni consensu tradi, quandoquidem Resp publica, non alio Juris titulo eundem districtum Suae Illustritati concessisset quam quo Vidua Anspachiana gaudebat, quo circa ad futura Regni Comitia negotium id remittitur; sed paulo ante commemoratum est quomodo Illmus Dux Fridericus ista con:cessione exciderit, in eo autem Negotio cum ordinibus Regni, ad quos pro tunc remissus fuerat, ulterius nihil egerit. Unde arguitur, quod idem Illmus Dux Causae suae fuerit diffisus, ideoque Ordines Regni non requisi:verit, ac propterea semper repulsam senserit quod, responso Divi Vladislai 4. Varsaviae die . . Martij anno Dni 1637. Ducalibus Ablegatis dato demonstratur his verbis:

De negotio adiungendi Districtus Piltensis Cur-landiae Ducatui, cum sit res, de qua privata authoritate Sacra Regia maiestas statuere non possit, futuris id Comitijs tractandum relinquit; et tametsi ea res pro tunc Suae Illustritatis Antecessoribus succedere ne-quiverit, prout satis demonstratum est, cum semper ad Ordines Regni et ad Comitia fuerint remissi; Nihilominus modernus Illmus Dux in negotio Antecessoribus toties negato pervenit,